

jocalia predictis domino duci et communi Janue libere per dictum vel dictos depositarios debeant expediri et tardi et pene predicte cedere in solutum. Que quidem communitas vel communitates, penes quam vel quas dicta depositio fieri debeat vel debeant ad predicta se solepniter obligare, cum promissionibus et juramentis, quod predicta facient et complebunt, non obstantibus quibuslibet represaleis, compensationibus, questionibus, querelis et ceteris quibuscumque, vigore quorum restitutio dictorum jocalium, ut premittitur communi Janue facienda posset aliqualiter impediri. Et tradita eidem domino comiti, aut ejus certis nunciis vel nuncio possessione dicte insule de Tenedon, castrorum, burgorum et pertinentiarum suarum, dicte partes teneantur et debeant eorum expensis communibus de tota ipsarum partium potentia protegere et defensare dictum dominum comitem et alios ibidem ejus nomine deputandos ab omnibus et contra omnes, qui dictam insulam, castra, burgos vel pertinentias aut ibidem pro dicto domino comite habitantes invadere, seu aliter offendere presumeret quovis modo. Item cum illustris et serenissimus princeps et dominus dominus Petrus dei gratia rex Jerosolimitanus et Cipri non venerit nec transmiserit aliquem procuratorem pro ipso cum idoneo et sufficienti mandato ad tractatum pacis presentis cum Januensibus faciente, quod dicti Veneti seu commune Veneciarum, guerra durante presenti, inter dictum dominum regem et commune Janue de ipso domino rege et suis se nullatenus intromittant directe vel indirecte, publice vel occulte, eidenque ipsa presenti guerra durante non prebeant quovis modo auxilium, vel favorem. Eo excepto quod dominus Fredericus et Franciscus Cornarii, et ceteri Veneti et successores ipsorum fructus, redditus, exitus, obventiones et emolumenta, que et quos nasci et provenire contigerit ex prediis, possessionibus, vel bonis ipsorum, que et quos habebant ante presentem guerram, et que vere et non ficticie et sine fraude usque in presentem diem acquisiverunt, non intelligendo quod acquirere potuerint aliqua casalia vel loca, que fuerunt communis Janue vel